



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 95. Saxoni Electoris querelæ contra Spurios Evangelii Præcones,
eorumque responsa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul XVI. tua societas pangebatur, salvis tamen
 A.C. 1551. urbis immunitatibus, nec non intacta
 Religione, quam Cives profitebantur.
 Insuper dabatur fides, non modo urbem,
 sed & omnem circumjectam Regionem ab
 omni injuria tutam fore. Hæc summo
 omnium applausu fuere sancita, ac
 Mauritius tanquam Burgravius Magde-
 burgensis salutabatur, qui statim etiam
 suum exercitum eduxit, atque in urbe
 nonnisi quinque militum centurias re-
 liquit.

§. XCV.

*Saxonice Electoris querelæ contra
 spurios Evangelii Præcones, eo-
 rumque responsa.*

Postquam igitur Mauritius hac ratione
 urbem in suam redegerat potestatem,
 Concionatores, atque adulterinæ refor-
 mationis Ministros convocans vehe-
 menter de illis querebatur, eo quod e-
 ditis contra ipsum libellis, ac picturis
 divulgassent, quod a vera Religione
 defecisset, bellumque ob constantem,
 immotamque sanæ doctrinæ professio-
 nem urbi intulisset: *justam quidem, pro-
 sequebatur Elector, haberem offensionis
 causam, ac merito vindicare in vos possem,
 lubenter tamen ob Reipublicæ bonum priva-
 tas injurias mihi illatas condono: vicissim ve-
 ro a vobis peto, ut in posterum populos ad
 vita*

Thuan. 83
 Sleid. l. c.

vitæ emendationem, & magistratus, ac Principum observantiam hortemini: curetis igitur, preces publice pro Cæsaris salute, pro me, ac cæteris magistratibus fieri; Concilium jam Tridenti inchoatum est, in quo piæ doctrinæ confessionem, tam meo, quam aliorum principum, & ordinum nomine, sum exhibiturus; Deum oretis, ut tam præclarum cœptum prosperet, ac bene vertat, neque illud, sicut hætenus fecistis, conviciis proscindatis, & exagitetis. Porro ad hæc concionatores objecta crimina purgaturi ita responderunt: non quidem evulgavimus picturas, non tamen eas adeo reprehensione dignas judicamus; neque enim negari potest, quin plerique per ipsius ditio- nis fines triennio abhinc a puriore religione defecerint, & si quidem ad belli auctores respiciatur, quin opprimendæ religionis causa Urbs obsessa sit, iidem dubitari non potest: quod ad nos attinet, nihil in admonendo populo prætermisimus, neque in posterum prætermitemus; cæterum de Concilio, quod Tridenti indictum est, longe aliter sentimus; illud enim delendæ veritatis ergo coactum existimamus: quippe in quo Romanus Pontifex principem locum tenet, qui se pro Christi adversario gerit; itaque non aliter orare Deum nobis licet, quam ut tam perniciosos hostium veritatis conatus, & consilia rescindat, frangat, dissipet, a quibus nihil nisi malum, & Dei

Sæcul. XVI.
 A. C. 1551.

Sæcul. XVI. Gloriæ æque, ac reipublicæ adversum por-
A.C. 1551. ro expectandum est.

§. XCVI.

*Dolosa Mauritii Saxoniae Electoris
 dissimulatio.*

Attamen temerarium hoc responsum, necnon indulgentia, qua Mauritius tanta in audacia connivebat, prudentiores facile in suspicionem adducebat, quod Elector Mauritius leges quidem specietenus aliquantum severas Magdeburgensibus imposuerit, cæterum illis clam de religione, & libertate caverit, & maluerit per hæc conditiones potius sibi, quam Cæsari Urbem patere. Id quoque jam multis, nec obscuris indiciis, quantumvis dissimulandi mirus artifex, manifestum fecerat.

§. XCVII.

*Clandestinum Fœdus hujus Electoris
 cum Galliarum Rege.*

Sleid. l. 24. p. 890. & seq. & l. 23. pag. 853. Thuan. l. 8. Spond. hoc ann. n. 5.

Nec vana erat eorum, qui talia præsumebant, suspicio, quippe eodem ferme momento Mauritius Elector clam cum Galliarum Rege armorum societatem inibat, ad quod negotium Rex ministerio utebatur Joannis Fraxinei Bajonensis Episcopi, qui diu in Germania commoratus patriam hujus Nationis

lin.